



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Pauone Conuerso, qui sanctam Mariam in fine suo vidit, cap. 53.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

& aduocate duos fratres, qui vos adiuuent, tempus est migrandi. Pulsata igitur tabula, circa principium Euangeli, conuentus occurrit, & ipse Abbas inter primos, sicque sancta illa anima, sicut prædixerat, ante finem Euangeli soluta est. APOLLONIVS: Non minor si iustus desiderauit mortem, quem auctrix vitæ consolata est ante mortem. CAESARIVS: Non solùm præsentia eius infirmis dat fiduciam moriendi, sed etiam morientibus risum excitat, qui est signum magnæ lætitiae.

CAPVT LIII.

Onuersus quidam, adolescens ætate, Friso na-
tione, in Lucka, cuius suprà memini, grauiter
infirmabatur: deductus ad extrema, in ipsa ago-
nia, sicut mihi retulit monachus, qui vidit, & prælens
fuit, ridere cœpit; cui cùm diceret unus ex circumsi-
dentibus: Paule, hoc ei nomen erat, cur modò rides?
respondit: Cur non rideam? ecce Domina nostra præ-
sens est, & iam animam meam suscipiet. Videtur mihi
in isto versiculus poëtæ impletus: Incipe parue puer
risu cognoscere matrem. Puer erat virtute idem Con-
uersus, quia simplex & purus; paruus, quia humilis &
mansuetus. Haud dubiū, quin beata Virgo morienti
maternos exhibuerit gestus; quia non risumi, sed timo-
rem, vultus excitat seuerus.

*Virg. E.
clog. 4.*

CAPVT LIV.

Imile contigit Coloniae in Ecclesia sancti Ma-
ritij: cùm quedam sanctimonialis bona vitæ, in
extremis ibidē laboraret, & sorores morientem
circumstarent, illa serenata facie subridendo, cunctis
audientibus in hæc verba prorupit: Bene veniat dul-
cissima domina mea, bene veniat: sicq; repressis labijs
expirauit. Multum enim illā diligebat, unde & in ho-
ra illa terribili dilectam videre meruit, visam salutare,
atque per eam, & cum ea, cœlestem thalamum intrare.
APOLLONIVS: Spero quod dæmones, qui etiam viris
sanctissimis in exitu nimis sunt importuni, in præsen-
tia tantæ majestatis subsistere nō possunt. CÆSARIVS:
Hoc tibi ostendere volo per exemplum.

Ff 2

CAPVT